

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCLV.

VD18 90538943

C. Quaestio Medico-Chirurgica.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16605

U T A P A R C O T J I N G
Q U Æ S T I O
M E D I C O - C H I R U R G I C A ,

Quam Præsidi
JACOBO - BENIGNO WINSLOW.

Tuebatur

CL. TH. GUIL. GUILBERT DE PREVAL;

Sub hac verborum ferie ,

*An ad extrahendum calculum dissectanda ad pubem
vesica.*

Parisiis 20. April. anno 1752.

I.

Calculus, qui vesicam diris divexat cruciatibus, ea dissecta quam primum
eximendus est, omni ætate, quavis anni tempestate, posthabita etiam
coeli ratione. Optandum ut atteri, & comminui ille posset, atque urinæ ef-
fluentis impetu exerneretur: at cum nihil extet, quod id præstare valeat,
una vesicæ sectio calculo laboranti opitulari & subvenire potest. Propterea Dei,
hominum salutis studiosissimi, singulari consilio, uni omnium animantium
homini, ex alvi sinu extat vesica; & cum superiore, tum inferiore sui parte
quasi foras prodit, ut ita exposita facile dissectari posset in hominis solatium.

II.

Homini duntaxat appensa vesica est peritonæo, eoque duplicato quasi fac-
culo concluditur; unde cæteris visceribus illæsis, abdominis etiam cavo in-
tegro & intacto, cædi tuto in pube potest: media sui parte demissa subter pu-
bis ossa, cervicæ suæ perinæum attingit; fundo vero, ad pubem imam ven-
tris partem elato, ea ipsa pubis ossa superat digitos fere tres, ut cathetere pau-
lulum

lulum incurvo attolli possit in pube ad sectionem æquo commode ac in perinaeo. Venis, ab hypogastrica prodeuntibus, perfusa est plurimis, ut licet substantia omnino membranosa sit; cæsa tamen coëat facile & sanescat, non cervice potius quam alia quavis sui parte; nimirum sanguine ad quasque divisas illius partes peræque appellente, easque glutinis instar connectente: præter adipem plurimum, qui privata & sua consistentia, non partis cujusvis frigore, concrevit. Obtenduntur vesicæ, tum tendines membranosi musculorum abdominis, tum pyramidales muscoli, qui ad ejus fundum coeunt, at, ima sua parte discreti, quasi designant & notant sectionis locum, si forte dissecanda in pube sit vesica.

I I I.

Dissecandæ ad pubem vesicæ, & ex ea calculi eximendi ratio perfacilis est, minimumque operosa: Chirurgi manus in id erudita, suis pollens viribus, hoc opus omne administrat & peragit. Ecce, ægro supino jacente, diductis cruribus, eisque vinculo devinctis, cathetere leviter ab imo inflexo, & aversa sui parte eaque incurva rescisso, attollitur vesica, & cultello, exacta acie, dissecatur ad fundum usque amplo & patente vulnere; tum amovetur catheter, & Chirurgi manus alterutrius digitis quasi oculatis in vulnus inditis, lustrantur vesicæ regiones omnes, & deprehensus calculus nullo negotio prope & celeriter extrahitur. Si vesicæ ille adhæreat, eliso digitis glutine, nulla vi avellitur; quin si enata membrana sinum vesicæ faciat geminum, & calculum contineat, is, tenui forcipis ictu discissa membrana digitis etiam educitur, atque hac arte nec divelletur discerpeturve vesica, nec omnino aut minimum contundetur, quod in vulneribus vesicæ potissimum est.

I V.

Discissa tantum vesica levioris momenti vulnus habetur & est. In urinæ angustis quotusquisque dissectus fuit nullo vitæ discrimine? At una cum vulnere si collisa fuerit vesica, deterius jam vulnus est & sæpius lethale. Ut vesicæ chirurgi calculi extractionem molientis præcipua laus sit, non solum curare, ut expedita sit sectio & dolore minimo peragatur, sed imprimis studere, ut nullo periculo, nullo vesicæ damno, calculus educatur; geminum illud est, alterum dilaceratio, alterum contusio; alterutrum vel utrumque si affuerit, consequetur inflammatio brevi extinctura tenuem vesicæ calorem.

V.

Vesica ad pubem incisa, si plures subsint calculi, omnes extrahentur, nec ullus superesse poterit. Sanguinis grumi, qui dum morantur, gravissimos invehunt affectus, una cum urina per ductum urinarium facile elabentur:

CITRUD

T 3

vulnus



vulnus urina non proluetur, quod ad vesicæ discissæ unionem accelerandam facit plurimum; ita vero subjectum oculis vulnus est; ut & illius & vesicæ vulneratæ Chirurgo omnis explorata futura sit ratio. Liberabitur æger tubulo illo, qui in vulnus quamprimum immitti solet, turunda etiam omni prælonga, quæ duò cum adhibentur dolorem movent non leuem, diathesin inflammatoriam fovent, quietem fere omnem adimunt: nec fordebit ille immunda illuvie, namque & alvi onus pelvi, & urina matula commode excipietur; licebit & mutare situm, modoque in dextrum modo in sinistrum latus, grata vice, decumbere. Uno verbo curatio longe facilior, & certior multo sanationis spes erit.

Ergo ad extrahendum calculum diffecanda ad præbem vesica.



QUÆSTIO

C I.

Q U Æ S T I O
M E D I C O - C H I R U R G I C A ,

Quam Praside

M. PHIL. DAVIER DE BREVILLE.

Tuebatur

FRANC. FELIC. COCHU,

Sub hac verborum serie

AN EDUCENDO CALCULO, CÆTERIS
ANTEPONENDUS ALTUS APPARATUS?

Parisiis 15 Aprilis anno 1734.

